



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma, Sive Avrea Armilla Bartholomæi Fvmi Placentini,  
ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoris**

**Fumo, Bartolomeo**

**Antverpiae, 1570**

Frvctvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30427**

de vetus: Contractus, crimen, reus, & res, religioq; Vir, ratio similis, vel pro- uocat, atque recusat.

**FRAVS.**

**FRAVS** ad modum mendacij pec- catum dicit, quæ si sit perniciofa in damnum proximi notabile, est mor- talis. Secus si circa minimum, aut sit iocosa, vel officiosa, vel præter inten- tionem, tunc in his est venialis. Cùm tamen aduertit, tenetur damnum re- facere, & remedium apponere, si po- teit, famæ propriæ, ne de eo, tanquam de doloso, scandalizetur. Aliter gra- uiter peccaret præbendo scandali ma- teriam proximo.

**FRAVS** & dolus nemini debet pa- trocinari, in capitul. ex timore, de re- scriptis.

**FRAVS** commissâ in legem, vt de persona ad personam, de vna re ad al- iam, de vno cõtractu ad alium, & hu- iusmodi, non est sine peccato: quia præuaricatur lex. Facit not. in c. intelli- gentia, de verbo, signifi. & c. quanto, de priuileg.

**FRAVS** fieri non dicitur scienti, & cõsentienti. l. nemo. ff. de re. iu. supra. Dolus. vide aliquid de hac materia, quia parum differunt. Nam fraus principaliter in factis est, dolus in ver- bis.

**FRIGIDVS.**

**FRIGIDITAS** quomodo impe- diat matrimonium, vide infra, Ma- trimonium. §. 47. 48. siue sit secũdum temporis conditionem, vt in sene, siue secũdum materis complexionem.

**FRVCTVS.**

**FRVCTVS** in corporalib; de quo loquuntur canonistæ: quidam se- cundum Bartol. in Lex diuerso. c. de rei vendicatio. sunt naturales: vt na- ces, pira, & c. alij sunt partim natura- les, partim industriales: vt lana, sege- tes, & c. alij dicuntur industriales, vt qui acquiruntur ex negotiatione, vel artificio: alij verò, qui non proueniũt ex re, dicũtur ciuiles: vt est pensio do- mus, vel huiusmodi. l. si naues. ff. de rei ven. Et horũ quidã sunt honeste perce- pti, quidam inhoneste: vt si locauit do-

num meretrici, vel publico vsuratio ad talia officia exercenda. l. ancillarũ. ff. de pet. hære.

**FRVCTVS** percepti bona fide (vt colligitur ex c. grauis. de restit. spoliat) siue naturales, siue industriales. siue cõ- titulo, siue sine titulo, in conscientia debent restitui, si extant. Si autem quis eos consumpsit, tenetur restituere tantum, in quantum locupletior fa- ctus est: vt puta, quia in eam rem expẽdit, in quam oportuissit expẽdere tan- tum de suo, vel aliqua emit, ex quibus patrimonium suum ampliauit: tamen de fructibus industrialibus rei lucro- sã diminuet, quantum industria sua æstimanda est in dicto negotio exerci- tata, in vtilitatem, seu augmentum di- storum fructuum accipiendorum: quia nemo suis stipendijs militat. Si verò non est factus locupletior, de re- bus consumptis non tenetur. l. vtrum. ff. de petitiõ. hæred. De lucro factõ ex re non lucrosa, vt ex pecunia, non te- netur, nisi de interesse expresso, & nõ de possibili.

**FRVCTVS** dicuntur, qui deductis expensis factis colligendorum, congrẽ- gandorum, & conseruandorum fru- ctuum gratia supersunt, tam in bonẽ, quam in malã fidei possessoribus. l. si a re. §. fructus. ff. de petitiõ. hæred. Quanto tempore possessor bonẽ fidei possint vsucapere dictos fructus. vide Sil. ibi. §. 2.

**FVGERE.**

**FVGERE** sine peccato potest, qui iuste quæritur, vt capiatur, siue data sit contra eum sententia, siue nõ, dummodo non interueniat violentia contra officiales, qui vellent eum ca- pere: quia ipsi habent iustum bellum cõtra eum. c. resistit. 11. q. 3. & ex parte fugientis est iniustum, ideò morta- liter peccaret. Et idem est de auxiliari- tibus.

**FVGERE** licet incarcerato iniuste, vt patet. Si vero iuste detinetur, & nõ propter mortem, vel membri abscis- sionem inferendam, sed propter aliud, puta ad punitionem, nõ licet fugere. Facit quod not. gloss. in c. ius gẽtium. d. 1.